

Generalem Amnystiam cum praefixione Terminum, sub quo semet coram ipsis aut Superioritate sua personaliter sistere et qui illorum taliter semet, benevole stiterint et militares fieri nollent, ut deposito praevis Juramento semet uni vel alteri Locorum Communitati inscribi curare, ibidemque constanter habitare et permanere, ab ulterioribusque Praedocinijs abstinere poenitus debeant, Nomine nostro Regio per totum Syrmium et inferiorem Sclavoniam publicabunt memorati Commissarii nostri Regij, ut hoc etiam modo tranquillitati et securitati Publicae Partium illarum consulatur et prospiciatur. Hoc porro praemisso, cum ad mentem praecitati Articuli 18. 1741. ad hanc Syrmij et inferioris Sclavoniae Incorporationem etiam Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banus cum Statibus et Ordinibus eorundem Regnorum Commissarios denominandos habeant, eoque fine, ut unum alterumque Commissarium ex parte etiam Sua ad tempus et Locum designatum eorsum expediant, Ipsis jam commissum esset; Igitur

Secundo, Ubi hi quoque praefatorum Regnorum Deputati eo advenerint, Commissarii nostri Regij cum illis quoque ex parte Syrmij & Sclavoniae communiter agant in omnibus et tractanda tractent, concludendaque concludant, ac proinde insimul cum ipsis in Syrmium et inferiorem Sclavoniam descendant, ex mutuo ad invicem Consilio et auxilio pro resolutis jam Confiniariis Numero, quem ad Statum completum quo citius poni et in eodem conservari, nullatenus autem diminui volumus, eorundemque Officialibus, incluso jam hactenus exciso, velut non sufficiente, aptum et sufficiens, non quidem recte tantum, quantum antecederet superflue fors habuerunt, sed quantum ipsis a proportionem Numeri ita necessarium esse videbitur, ut in illo et poenes illud valde bene et comode non tamen abundanter et superflue subsistere possint. Terrenum primo poenes Danubium, a Petro-Varadino incipiendo usque Semblin, quo trans Danubiales Confiniarios ex Comitibus Bach & Bodrogh transferi et translocari volumus, ac dein poenes fluvium Savum a Semblin ascendendo versus Turcicum, excindant; illo vero pro confinio taliter exciso inter illud et reliquum quod remanet Syrmij et Sclavoniae inferioris Terrenum, Lineam Confiniariam ducant, sicque contribuentes a Militibus Confinariis effective separent. Facta autem hacce separatione,

Tertio, Totum illud Terrenum, quod pro Confinio, et militibus confinariis praevio modo excisum et separatum fuerit, pro parte confinariis relinquatur, et inter Ipsos modalitate in supracitatis de 30. Octobris et 5. Augusti emanatis benignis Rescriptis Nostris expressa subdividatur; eademque confinia circa omnia, quae requiruntur Militaria, medio dictorum Regionum nostrorum et Provincialium Commissariis debito modo et ordine relegentur, residuum vero totum et universum, quod a praevio modo exciso confinario Terreno in Syrmio et inferiori Sclavonia remanebit, Terrenum, cum universis ejusdem locis locorumque Incolis et Inhabitantibus, ipsisque hactenus incumbentibus cunctis oneribus Publicis, Dominisque ipsorum Terrestribus, Nomine Regio et Suprema Autoritate nostra Banali et Provinciali Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Jurisdictioni mox et de facto incorporetur, et hoc Titulo praefatorum Regnorum Commissariis consignetur. Hoc facto

Quarto Universum hocce incorporatum Terrenum spectato situ locorum in tres Comitatus, Syrmiensem utpote, Poseganum et Veroczensem, incluso etiam sic dicto Valpo seu Valkoviensi Comitatu, subdividatur; et licet quidem praelibati Regij Commissarii nostri proiectum istiusmodi subdivisionis Nobis jam exhibuissent,